

Montensis Ducatus Clivenſi Ducatui conterminus eſt, vulgo *Berg*, cujus caput *Düſſeldorp*, oppidum cum arce, Ducum Iuliaci, Clivæ & Bergæ ſedes.

Hæſſia Landgraviatus Comitatus in ſe habet nobiles hos, *Zigenbaim* & *Nidam*. Caput provinciæ eſt Caſtellum Cattorum, ſive ut nunc *Cæſſel*. Secunda eſt Marpurgium, litterarum ſtudiis maxime clara. *Gieſen* munitiſſimum totius Provinciæ oppidum.

Wetteravia inter Hæſſiam ac Rhenum fluvium eſt, regio, quam maxime nobilitat clariffimus Comitatus Naſſovicus, unde Heroes nobis Naſſovii prodire, libertatis Belgicæ aſſertores.

Buchovia inter Hæſſiam, Franconiam atque Thuringiam media eſt, cujus caput *Fulda*.

Thuringia Landgraviatus inter Salam & Viſurgim protenſus, familiæ Saxonicæ paret. Caput regionis eſt Erfordia, *Erfurt*, hinc Wimaria. Iena Muſarum eſt domicilium.

Miſnia Marchionatus, Ducum Saxonie domicilium, à Miſna urbe, quondam prima, nomen habet. Nunc clariffima omnium eſt Lipſia, *Leipzig*. Dresden, Ducum Electorum ſedes eſt.

Saxonia Ducatus ad utramque Albiſ fluvii ripam eſt, in varias ditiones diſcerptus. Urbium clariffima, ampliſſimaque eſt Magdeburgum, *Meyburg*, Burggraviatus S. Imperii, & Archiepi-

ſcopatus titulo maxime inſignis. Wittenberga, Ducum Saxonie quondam ſedes, Martini Lutheri profeſſione Theologica celebris.

Brunſvicenſis Ducatus caput eſt Brunſvicum, libertate Imperii fruens. Vrbs dives ac probe munita. Hinc Halberſtadium, inde Hildesheim, Hannover, Goſlar, Helmſtad, haud ſpernenda oppida.

Archiepiſcopatus in Germania ſunt VII, ^{Archiepiſcopatus.} Moguntinus, Coloniaſis, Treverenſis, Magdeburgenſis, Salisburgenſis, Bremenſis & Pragenſis. ^{Episcopatus.} Episcopatum in tam vaſta regione incertus eſt numerus. Præcipui ſunt: Herbipolitanus, Bambergenſis, Argentoratenſis, Spirenſis, Leodienſis, Monafterienſis, Paderbornenſis, Hildesheimenſis, Mindenſis, Oſnabrugenſis, Verdenſis, Halberſtadienſis, Hallenſis in Saxonia, Vraſſavienſis.

Academie illuſtres ſunt: Baſileæ, Friburgii ^{Academia.} in Briſgavia, Argentorati, Heidelbergæ, Tubingæ, Ingolſtadii, Altorfenſis, Pragæ, Viennæ, Francofurti ad Oderam, Gripswaldiæ, Roſtochii, Helmſtadii, Wittenbergæ, Lipſiæ, Ienæ, Erfordiæ, Marpurgi, Gieſſæ, Colonia.

Quum vero magna ſit Hanſeaticarum urbium in Germania celebritas, & fama, operæ precium fuerit, de earum origine, incremento, potentia, longiorem ſermonem inſtituere.

D E V R B I B V S A N S E A T I C I S.

Magna quondam Hunnorum aliarumque Barbararum gentium fuit in Germania vexanda immanitas, eoque magis formidanda, quod jam Saxonie maritimæ, vicinisque Pomeraniæ, & Megapolenſi ac Brandeburgenſi tractui regionibus imminerent. Eo tempore feruntur adverſus Barbarorum excuſiones, & ad mercaturæ commodum utilemque uſum coiſſe in Germania urbes maritimæ, quæque adſitæ fluminibus cum maritimis illis commercia exercebant, conceptis certis quibuſdam fœderis capitibus. Conſpirarunt autem in eam ſocietatem inde à Finnico ſinu, qui eſt in ultimo reſſu maris Baltici, uſque ad Rheni oſtia, urbes præcipuæ; nomenque ſibi indiderunt Anſeaticarum, vel à mari Teutonico, quod ad illud ſitæ eſſent, hoc enim eſt *Anſee*, vel à fide quam dextra pangere receptus gentibus mos eſt: manum enim Germani *Handt* vocant, vel, ut aliis placet, à fœdere & concilio, quod præſca Germanorum voce *Hanſam* dici ajunt: prolato etiam ex veteri codice Novi Teſtamenti loco inſigni, ubi pro eo

Germania.

quod Latine dicitur, *Concilium fecerunt in eum*; Germanice legitur, *Fecerunt hanſam*. Iidem ab immunitatibus quoque dicti ſunt *Frye Hanſen*. Qui autem Francos ex eo nomine contracto derivant quaſi *Frænſen*, manifeſte errant. Neque enim *Frænſos* appellamus, ſed *Francos*. quæ vox non ab Hanſis vel Anſis, ſed à *Franck*, quod liberum ſonat, originem trahit. In eam vero ſocietatem recipiebantur non niſi civitates Germanicæ maritimæ, quæ jus habebant portarum ſuarum claudendarum & aperiendarum, ſive illæ Principem agnoſcerent, ſive omnino eſſent liberae. Dividitur autem Hanſa Teutonica in quatuor regiones, Lubecenſem: Coloniaſem, Brunſvicenſem, & Boruſſicam: habetque ſibi ſociatas urbes LXVI, nimirum Vandalias ſex, Pomeranicas octo, Boruſſicas ſex, Livonicas tres, Saxonicas tredecim, Weſtphalicas decem, Clivicas ſeu Marchicas ſeptem, Tranſſalanas tres, Gelricas ſeptem, Friſicas tres.

LVBICA ex aliorum conſenſione caput eſt totius Anſeatici fœderis, tum ob faciles acceſſus, eſt enim medio pene loco ſitum, tum ob urbis civiumque potentiam. In ea ſunt archiva

B

focie-